



Disputatio politica de electionis et successionis comparatione

<https://hdl.handle.net/1874/340898>

22.

DISPV TATIO POLITICA
DE
ELECTIONIS ET SVC
CESSIONIS COMPARATIONE.

Q V A M

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI,
Lib. Art. Mag. & Philosophie in Almâ Ultrajectinâ
Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conabitur,

PETRUS ab EYNDHOVEN Ultrajectinus.

Ad diem 21. & 24. Maii : horū locoq[ue] solitis.



VLTRAJECTI,
Apud IOANNEM à VVAESBERGE.
Anno cīc lcc xxxv.

AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,
SPECTATISSIMO VIRO,

D. IOANNI vande POL,
in Inclytâ Trajectensium
Republicâ Scabino pru-
dentissimo, dignissimo:

Hanc disceptationem Politicam

A. M. O. R. E.

Offert & inscribit

PETRVS ab EYNDHOVEN

Respondens.

DISPUTATIO POLITICA

DE

Electionis & Successionis Comparatione.

THEISIS I.

Actum est adhuc à nobis de Electione & Successione extra comparationem : Tempus est, ut eas committamus inter se, & quæ cui ante sit ferenda, videamus. Nos partis utriusque argumenta in aciem educemus scilicet, & subinde quid nobis in thesi, quid in hypothesi videatur de certamine prærogative, quod Electioni cum Successione, Successioni cum Electione est, definiemus.

II.

Pro Electione militant, cùm alia, tum hæc argumenta. I. Quia electio successione prior, ut quæ heroicis frequentata temporibus. Nam cùm primi illi heroës populum magnis beneficiis & meritis affecissent, vel inventione artium, vel bellicâ virtute, vel cōciliatâ hominum inter se communione & societate, vel augendis atque amplificandis finibus, hi reges lubenti ac gratâ civium sententiâ creabantur videlicet, inque eorum posteris, velut hereditario ac patrio jure, hinc continuabantur imperia. Arist. 3. Pol. 10. & 5. Pol. 10. Ut ita eorum, qui ex strenuis ac beneficis regibus nati sunt, beneficia continua-ta, effecerint primitùs regna in familiâ hereditaria. Polyb. lib. 6. II. Quia naturalior. Mediante siquidem electione ad regnum perveniendi viam ipse nobis præscribit ac munit nature cursus, non continuans in heroicis familiis, ad imperii tuendam dignitatem quæ requiruntur insignia dona, atque ex macellario, ut est in proverbio, Herculem nonnunquam progignens, coque nos edocens, natalium ne incerto eventu,

quemcumque & cuiuscumque conditionis nasci contigerit, ad regnum ascendere sinamus. Sunt enim, nescio quomodo, *αὐτὸν ἵψει τέρα τίμωτα*, heroum filii terè noxæ , adeoque quasi fato quodam nō temerè magni viri optimum & utilem filium relinquunt , id quod multis exemplis firmat *Besoldus in prodromo disp: de Success: & elect: num. 4:* ubi addit , à curiosis observatum esse, familiarum & liberorum felicem statum rariſſimè ultra trinepotes durare, quoq; diurniores sint familiæ , hoc pejores esse, ideoque propter majorum scelera pœnas publicas in totas sàpè familias grassari. Cur autem heroum filii sint noxæ , caula affertur non una. *Christianus Matthias Dithmarsus* eas ad tria summa genera revocat, Hyperphysicum , Physicum , & Ethicum . Hyperphysicam causam partim dicit esse *θεολογικῶν* doctrinalem , quoniam Deus nos velit informare, dona sua non esse alligata ad successiones familiarum , ac propagationem carnalem , sed esse cælestia , ideoque non speranda à parentibus , verùm à solo patre cælesti expectanda , partim *παιδειγματικῶν* exemplarem, idèò enim , quia naturæ heroicæ ob vehementiores naturæ impetus fecidiūs labi soleant , graviterque nonnunquam Deum offenditare , idèò, inquam , hunc hanc earum *μεγαλαχίαν* in posteris vindicare animi heroicæ subtractione. Physicam causam tribuit in communem & specialem . Causam communem esse ait, quodd in hac postremâ mundi senectâ natura facta sit languidior , paulatimque in pejus ruat , & retrò sublapsa feratur, inde adeò fieri, ut parentes liberos sibi dissimiles procreent , juxta illud Poëtæ :

e Aetas parentum, pejor avis, tulit

Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitiosorem. Horat:lib:3.ode 6.

Causam specialem subdividit in eam , quæ est Respectu Generationis , & eam , quæ est Respectu Nutritionis . Respectu Generationis causam hujus deliquii refert cum Medicis ad diversam parentum tempore coitus dispositionem , alii

ad diver-

ad diversum insuper stellarum positum in articulo concepcionis nativitatis vè. Respectu Nutritionis hanc eclipsin acceptam fert ingenio nutritum, quarum lac maximam vim habet ad mores, adeò ut Gellius auctor sit, quendam lactatum lacte caprinò, cùm adolevisset, more caprarum solitum fuisse-faltare. Horfum Catonem nato sibi filio nihil privatæ rei magis necessarium duxisse, quām ut uxor suo eum lacte enutritret. Causam Ethicam aliam vult esse ex Parte Parentum, aliam ex Parte Liberorum. Ex Parte Parentum causam hujus degenerationis asseverat esse malam educationem, & nimiam indulgentiam, illam ratione patrum, qui Republicæ districti negotiis natorum institutioni non modò non præesse, verūm nec interesse queunt, eamque coguntur commendare pædagogis mercenariis, qui de suo stipendio magis, quām eorum, qui fidei ipsorum contraditi sunt, profectu sunt solicii, hanc ratione matrum, quæ naturā suā solent esse indulgentiores. Ex Parte Liberorum causam desectionis illius afferit esse insolentiam inde ortam, qualis in Themistoclis olim filio fuit, qui à se uno totam Græciam regi jactitate non erubuit hoc argumento, quod, quicquid ipse vellet, hoc vellet mater, quicquid mater vellet, hoc faceret pater, quicquid pater vellet, hoc faceret tota Græcia. *Syst. Ethic.lib. 3. exerc. 10.*
Diquis. 2. Vide Berneggerum quæst: mist. 181. Arniseum.lib. 2. Rel. Pol. cap. 2. scil. 4. num. 64. & seqq. 111. Quia rationabilior, ideoque melior. Preterquam enim, quod principatus non sanguini debetur, sed vitæ, ideoque optimo cuique ac dignissimo, qualem electio cōoptandique integrum invenit iudicium, cùm contrà nasci & generari à principibus sit fortuitum, neque ultrâ æstimetur: *Tac. 1. Hist.* Quis autem navi-giolo suo p̄fificere gubernatorem volens eum sibi conducendum judicaverit, qui licet se naute alicujus celebris filium aut cognatum jactet, nondum tamen ventos didicerit, nondum syrtes ac fretorum explorarit scopulos, nondum ad sideritem clavum convertere edoctus sit, & tu summæ potestis

statis heredem tantum in una domo quereras, non per totam
civitatem circumferas oculos, aut, si quam forte praetula ex-
titerit & probata familia, ex ea potius aetate superiorem,
quam virtute insigniorem, quam optimum, & Deo quam
simillimum, cuiusque naturam, antequam in regnum intro-
ducatur, optimè perspectam cognitamque habeas, eligas? *Plutarch: in Apophtheg:* Preterquam, inquam, quod virtus
certior dux sit, quam natura, cum haec sapere cadat a bonitate,
illa non item, illam autem osculetur electio, hanc successio:
Arnis: cit: loc: Quis non videt, sic publicè campum aperi virtuti,
ad quam non non aspirare necesse est homines, si videant,
palmam in medio esse positam, & principatus spem, tanquam
opimius premium, communem exponi omnibus virtute praeditis,
neque tam illis, qui ab Hercule ducunt genus, quam qui
virtutem Herculis imitantur, ad honores patere viam? *Besoldus in prodrom. disp. de success:* & *Elect. num: 3.* Contrà quam
sit in successione, quæ ubi obtinet, tum vero sapissime vi-
deas ad dignitates evehí eos, qui nec parere, nedum impera-
re didicerunt, praetentissimo Reipublicæ cum intertrimento.
Schonborn: lib: 2. Pol: 2. cap: 9. Ecur? Quia enim non est, ut
benè imperet, cui non est imperatum, adeoque qui benè im-
perat, paruerit aliquandò necesse est. *Arist. 3. Pol. 11.* Quo
digitum intendit senatus Romanus, cum sic ad Tacitum Au-
gustum: Diu privatus fuisti, scis quemadmodum debeas im-
perare, qui alios principes pertulisti, scis quemadmodum de-
beas imperare, qui de aliis principibus judicasti. *Apud Vopiscum*
Neq; aliud aut aliò respicit dignum vero memoriam Caspa-
ris Slikii, qui trium Romanorum Imperatorum, Sigismundi
Alberti & Friderici Tertii fuit Cancellarius, apophthegma,
quem optasse ferunt, omnes reges aliquandò privatos pau-
peresque fuisse, ut quales se erga privatos & miseros subdi-
tos exhibere oporteat, facilius possent considerare. *Refert*
Besoldus preallegato loco num. 5. Quam propter rationem ex
successoriis principibus iherere optimi præstantissimum, qui
in

in juventute educati sunt , ut privati , pessimi contrà , qui in purpurâ non tantùm nati , sed etiam educati , ideoque potentia innutriti , & quæ ex eâ , superbizæ . *Lipsius in mon. & exempl.*
Pol. ad cap. 3. lib. 2. Pol. Quos captivis alsimiles non male . Domi quippè clausi sunt , vera nō noscitant , hoc tantùm sciunt , quod alii eos scire volunt , nemo illis in ipsâmet illorum patriâ magis peregrinus est : interea mancipii instar bonus cautus optimus venditur imperator . *Vopiscus in Aureliano.* Tribus , quod ajunt , verbis : Facilius corruptitur princeps , qui succedit , quām qui eligitur , cui nihil ad imperium spei , nisi in virtute . Electis namque principibus duriores præscribi solent leges , & si præter spem degenerent , in promtu est remedium , quod compelsat eorum effrenem licentiam : Ecquod ? Quem meritum investierunt ordines , eundem immeritum devestiunt . *Arnis lib. 2. Rel. Pol. cap. 11. selt. 4.* Omnia contrà se habent in successoriis principibus & principatibus , in quibus sæpè capiundus heres ineptus , impubes , tyrannus . Habent siquidem hoc reges qui nascuntur , & à regibus , ut eorum ingenia , insitam propter insolentiam , institutionem non admittant , suâque origine indignum quidpiam se pati existiment , vilioris si hominis subjiciantur disciplinæ . *Besoldus ib. num. 7.* Stupris atque adulteriis filios principis agunt , & mox principes . *Tacit. 4. hist.* In quos nœ bellè quadret illud Demadis Græculi oratoris in Philippum liberius dictum : Cū fortuna tibi , ô rex , Agamemnonis personam dederit , annon vereris Theristæ actiones referre ? *iv.* Quia liberior & liberalior . Liberior hactenus , quoniam electi principes minùs intendunt imperium , minùs quoque subditos opprimunt , ut qui nihil habeant proprium , ab aliis acceptum , ad alios transmittendum : *Liebenthal Coll. Poll. Exerc. 6. quast. 6:* Et verò etiam loco libertatis , eligi . *Tacit. 1. hist.* Præterquam enim , quod sic eo modo sumitur princeps , quo per se contingit assumi meliorem , qui , ut in pluribus , optimè invenitur in multitudine : *Arist. Pol. 3. 11:* etiam morte consumto principe , Rei-

pe, Republicæ omni ex parte subveniendi , novumque re-
gem , quibus expedit , pacis constringendi , deque principe
defuncto absque metu loquendi , reviviscit libertas , partim
quia delecti successoris hæc ferè prima solet esse cura , ut an-
tecessoris perperam acta rescindat , id quod non item facit fi-
lius , patris qui injuriam suam esse deputat , partim quia ne-
scio quomodo morte regum demum producuntur crimina.
Nam , dum vivunt , passim audiunt benè , neque est , qui vitia
eorum veris perscribat nominibus , quicquid faciunt , si non
laudatur , saltem non vituperatur , à morte primulūm incipi-
unt audire malè , demto metu ultionis . *Besoldus cit. loc. num.*
10. Liberalior haec tenus , tum quia sordidum ac servile pror-
sus , unius familiæ si populus quasi hereditas existat , sicque
Respublica relinquatur , quasi villulam aut colonos privati lo-
lent : *Idem ib. num. 9* : tum quia coronam qui se quæsivisse
novit , regno , cui suit adoptatus , magis se obligatum agnoscit ,
cùm è contrà , successionis qui beneficio imperium sunt con-
secuti , nihil ferè Deo , nihil hominum votis & suffragiis tri-
buant , verùm quicquid est , illud omne in se & suis viribus po-
situm esse arbitrentur : *Ib. num. 8* : tum quia majorem electio
parit benevolentiam . Quia enim cæteris candidatis ac com-
petitoribus se sentit prælatum adoptivus princeps , recogno-
scit id beneficium , cùm è converso is , qui succedit , cogitet
coactos esse subditos , ut se regem terrent . *Arnisi: præallegato lo-*
co. v. Quia tutor . Quis enim nescit , cum princeps annis mi-
nor successione ad imperium vocatur , interea , dum rex no-
vus creatur , scelestissimum quenque , quasi patefacta ad con-
cussiones vexationes seditiones viâ , nihil non audere ? cu-
ctos dignitate aut munere publico sibi commisso , tanquam re-
suâ ac patrimonio , ad publicam injuriam abuti ? Quid memo-
rem fraternalis æmulationes in pluralitate heredum ? quid fœ-
minarum controversias cum agnatis ? quid alias lites crue-
tas , que de successorio jure , orbus si moriatur rex , suborium-
tur ? Et , ut non moriatur rex , nedum orbus moriatur , an-
non

non s^epius, non obstante successoriā, nihil movent e natura
lege, patrios inquirunt in annos filii? annon aliter atque aliter
violat ac polluit successionis jura ambitio, vim mitcens frau-
di, fraudemque vi? *Besoldaus ib. num. 12. 13.* Videas enim sub-
indē quosdam, ut successionem arripiant, per dolum usurpare
nomen atque familiam alterius: *Schonborn. lib. 2 Pol. cap. 9:* &
quo leonina pellis non pertingit, ibi vulpinam affuere. *Lipsius*
in Pol. Omnia expeditiora in regno optivo, ubi timor repul-
lax, aut post admissionem, abdicationis, frenum injicit in prae-
cipitia ituris, illudque eos ad mentem revocare jubet, quod
à magistribus cogitari ac recogitari volebat Agatho, quod
non semper essent imperaturi. *Arnisi. cit. loc. VI.* Quia sub-
indē necessaria. Constat enim, vitia successionis non raro li-
bera electionis beneficio corrigi, &, quod illic male cecidit,
electionis arte emendari. Habent namque id emolumenti
singulariè suffragia, vitia ut successoris emendare, & impro-
bus si speretur ex stirpe rex, eum præverte re posint, capere
item, si in stirpe occurat dignus capi. *Besoldus ib. num. 14. 15.*
VI. Quia tā usitata, quām quā usitatissima, fidem facientibus
exemplis, quorum falciculum colligunt, cūm aliis, tum Besol-
dus & Arnisaeus s^epius citatis locis. Quare eligatur ex omni-
bus, qui imperaturus est omnibus. *Plin. Paneg.*

III.

Pro Successione militant, cūm alia, tum illa argumenta. I. Quia suc-
cessio est naturalior, cūm sit modus constituendi magistratus
naturalis, non artificialis, ut electio: jam verò naturalia pre-
ferenda artificialibus, & quod alicui per nativitatem quāli-
tum est, id illi non est sine suo facto adimendum. *Schonborn.*
lib. 2. Pol. 9. Scilicet annosior quemadmodum arbos ex radice
pullulat, & rancido qui subnascitur trunco surculus jam
vires accipit, effetti ac senio confecti ante ruinam: Successio-
nis non fecūs tramite in perpetuitate imperium consistit.
Besoldus in prodrom. disp. de Success. & Electi. num. 7. Vnde muni-
men aulae regii dicuntur liberi Euripidi ob successionis cer-
titudi-

titudinem. Non enim classes , non legiones perinde firma sunt imperii munita , quā numerus liberorum : *Tac. 4. hist.*: Quibus qui destituntur , nō illi contemui obnoxii , quā de re conqueritur Alexander : Orbita mea , & , quod sine liberis sum , spēnitur. *Apud Q. Curtium lib. 6.* Nimis quā verē! Tunc enim à veteri & putrido filo videntur pendere res regni. *Plutarch. in Phocione. 11.* Quia rationabilior , ideoq; melior. Præterquam enim , quod principis feligendi ratio penē inexplicabilis , cūm non ab universo populo majorevē parte populi fiat rectē , ed quod is , quemadmodum libertate prudenter uti nescit , ita nec in electione se sat gerat circumspētē , sed nec à paucorum optimatum factione rectē , cui vix tutō committitur res tanti momenti , ed quod rara sit electio , quā sine privato cujusque affectu aut respectu fiat , absque promissis , donis , artibus , suffragiorum emendicatione , quā libera esse conveniebat , minimeque obnoxia , nedum precaria. *Besoldus ib.* Atque , ut tutō , tamen non omnino tutō , quoniam is , qui ab eis eligitur , vel erit superior , vel inferior , vel mediz conditionis : Si superior , tunc magis studebit regno patrio: si inferior , animum facile attollet , si novam non capiat fortunam : Si mediaz conditionis , etiam sic unī sibi concreditum regnum relinquere studebit posteris , utque in successionem regnum commutetur optimū , operam dabit , aut si de successione suis stabiliendā desperet , suffragiorum coēmitione in stirpem propagare studebit , vel , si vota non sint venalia , faltem aliter liberis , agnatis , cognatis , non sine incommodeatione publicā , prospiciet , ut potē privatā jam conditio propter accessoriā dignitatē superioribus : *Idem ib.* Præterquam , inquam , quod principis cōoptandi ratio penē inexplicabilis , nullam quoque certitudinem habere potest electione , cūm in publicis muneribus & dignitatibus constituti , alii melius , alii deterius se plerunque gerant , quā de his concepta & p̄econcepta ferebat opinio , juxta oraculum : *Aρχὴ τὸν ἀρισταῖον* , magistratus demonstrat virum. Qui
enīm

enim scire posse, aut ingenium noscere, dum atas, metus.
magister prohibebant? *Terent. in Andr. Act. I Scen. I.* Annon
multi cum illo monacho anonymo per ambitionem se probos
simulant, terramque demissō vultu aspiciunt humiles, proque
dominatione consequendā omnia serviliter agunt, qui mox
clave, quam prius quēsiverant, repertā, altius paulo attol-
lunt cornua, & personam capiunt Agamemnonis, cui apud
Euripidem objicit frater:

*Scis, quando cupiebas p̄fici Græcis ad Ilium,
Specie quidem non volens, voluntate verò cupiens,
Quā eras humilis, omnem dextram prehensans,
Et habens fores patentes culibet popularium,
Et dans alloquium ordine omnibus, etiam si quis non volebat,
Moribus quarens imperium à vulgo redimere,
Deinde, postquam potitus es imperio, mutans mores,
Amicis non amplius fūisti, sicut ante, amicus,
Difficilis adieu, & rarus intra claustra? In Iphigen.*

Scilicet nemo cādem arte imperium gerit, quā petit:
Sallust. Ingeruth. cap. 85: & nonnulli magistratum conse-
quentur inter summam vitiorum dissimulationem vitiosili-
simi. *Vell. Patr. lib. 2. cap. 97.* Quid enim novi est, ut homi-
nes, quorum virtus, dum privatum suis intenti agellis vive-
rent, fuit conspicua, in deterius vergant, adepta licentiā?
Sicut namque vala non facilē discernere possis, quod eorum
integrum, quod vitiosum, ubi aliquid infuderis, statim appa-
ret, quid perfluat, ita animæ nimis fatigentes infusam poten-
tiā non continent, sed forās diffluunt cupiditatibus, iris,
arrogantiis, ineptiis: & sicut ii, qui laborant morbo comi-
tiali, si in frigore versentur, vertigine corripiuntur, agita-
tione morbum eorum arguente, ita fortuna, ubi ineptos
homines aliquantulum opibus gloriā aut principatu extulit,
statim eorum mutationem demonstrat, & quidem in pejus:
Plutarch. ad Trajanum: juxta proverbium, aut veriverbiū
potius, quo honores dicuntur mutare mores, sed raro in

meliores. *Besoldus ib.* Exemplo Galba, qui omnium consensu capax imperii, nisi imperasset, majorque privato vi-
sus, dum privatus fuit. *Tacit. 1. hist.* Nimirum quodnam adulterinum sit numisma, certa signa sunt, sed quo oporteat dignoscere malum virum à bono, nullum, cum ut facies in aquâ splendens sèpè fallit, item malus specie boni fucum faciens. *Besold. ib.* Quâ de re nè divinè Seneca : Multorum, inquit, quia imbecilli sunt, latent vitia, non minùs ausura, cum illis vires suæ placuerint, quâm illa, quæ jam felicitas aperuit: instrumenta illis explicandæ malitiae desunt. Sic tutò serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non de-
sunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle illos cognosces, da posse, quantum volunt. *Epiſt. 42. Vide Arniseum lib. 2. Doſt. Pol. ſub finem. 111.*
Quia liberior, ſaltem liberalior, tum quia extrariorum potius, quâm civium, quâm æqualium, expetere imperium, cum contumeliâ junctum eſt incolarum, & publicæ libertatis periclitatione, tum quia regnum ſuccessorium reverentia obe-
dientiæque eſt promptioris, cum populus lubentiū obtempe-
ret domino conſuetu, qui preſumitur magis amare ſtatim, quem posteris relietur, ut ita charitas heic utrinque ſe
major, & ſubditorum in genitum ac ſanguine principem, &
principis in ſubditos, certo ac veteri jure ſuos, (Fit enim, ne-
ficio quo latenti ductu, faciliū ut obtemperet populus ex
confuetâ familiâ nato domino, animoque æquiore ferant ho-
mines, quem princeps parùm feliciter genuit, quâm quæ ma-
lè elegit populus:) tum quia electi principes plerunq; ſolent
eſſe novatores, nova, inquam, tributa & vectigalia imponere,
novas leges condere, nova instituta edicta judicia constitue-
re, nova confilia & mores ſequi, peregrino more modoque
vivere, alienam ſectari religionem, officiales dare foraneos,
quo fit, ut patrii mores, ad arbitrium principis alienigenæ,
ſint accōmodandi, & libertas turpi ſervitio ſit mutāda. *Besold.*

f. iv. Quia tutior, tum ratione ipsius principis, tum ratione
subditorum. Ratione ipsius principis hactenus, quia per suc-
cessionis viam securior est principis vita. Quippe patrem quis
occideret, cuius filius regnaturus est, cum vitari aut differri
vindicta ægrè possit, quando patri succedit filius, qui illius in-
juriam putat suam. Non sic se res habet in electione, in qua,
cum offendenteris principem, secessu aliquo vitas, donec ille abeat
e vita. *Lippius in mon. & exempl. Pol. lib. 2. cap. 4.* Ne dicam,
quod vivente principe, qui electione in regnum accessit,
persæpe de ejus consultatur successore, huic struuntur insi-
dia, quod occupandi detur locus, factiones conjurations ori-
untur, texuntur calumniæ, & nescio quæ non causæ conqui-
runtur contra eum, injuriæ suæ quia non relinquit ultorem:
Besoldus cit. loc. Præsertim si jam vergat ad senium. Solent
quippe, postquam proiecta jam senectus, ægro & corpore fa-
tigantur imperantes, adeoque finis, simul & spes novæ adesse:
Tacit. 1. Annal. Quoniam electione ambitio alitur, & pravæ
aliorum spes incenduntur. *Idem alibi.* Ratione subditorum
hactenus, quia successio magis continuat regni statum bene
constitutum, impeditque interregnum, quod turbas atque æ-
ras, importat denique. Dum enim Respublica sine recto-
re fluctuare incipit, ut navis in medio mari sine navarcho, si-
lentibus legibus, & spe impunitatis vel propositâ vel conce-
ptâ, repletur homicidiis, cædibus, rapinis, quæ mala ignorat
successio. *Bernegger. quæst. misc. 32.* Regni dixi continuare
statum successionem. Nihil quippe prius nihil antiquius ha-
bet, quam ut perpetuum quasi unius principis sit regimen,
idque operam dat, ut imperium unius familiae continuatâ he-
redum serie necatur, atque ita quidem necatur, ut altero
alteri succedente vix unquam obitus sentiatur principis præ-
defuncti, Sol occumbat, nox nulla sequatur. *Besoldus ib.* Ta-
ceo, quod dissensio eligitum, quæ nō infrequens in hoc statu
ob naturalem hominum ad dissentendum libidinem, sæpè duos tresve si-

mul creat, quæ res Rempublicam dividit, & scindit in partes seu factiones, quarum nimis quam ferax electio. Schonborn. lib. 2 Pol. cap. 1. Enimvero lege cum successionis certus est rex, tum vero turbis praestò est obstaculum, cùm alioquin novis & magnis conatibus opportuni sint transitus rerum. Hic non studia partium, non metus seditionis propter competitores, aut inter illos, qui querunt principem, non hic multi inter se digladiantur candidati de uno brabio &c. Besoldus sapius cit. loc. Adde, quod suffragio sumtus princeps regnum ferè negligit. Neque enim parcit populis breve regnum, & qui ad suos nihil perventurum intelligit, næ ille omnia potius amicis largiri, aut sub hastâ proscribere velle presumitur, quam foraneo successori reservare. Liebenthal Coll. Pol. Exerc. 6. quest. 9. Quis namque mortalium ignoto, & sapientius ingrato successori, tam amicè quam suis, in possessione provideat regia? Contrà se res habet in regno patrio, ubi pater, certus imperium nunquam ad alienos possessores deventurum, vel succendentium filiorum causâ, tum præsentia status naufragia, tum futura incendia, avertit sollicitè.

Ait alienus oves custos bis mulget in horâ,

Et succus pecori, & lac subducitur agnis. Virg. in Bucol.

Quotusquisque enim, qui æquè, ac domum suam privatam, rem adamet publicam? Besoldus ib. Ut rem mittam in compendium, civem alium vè optare non principem res est invidentiæ plena, plena periculi. Quò enim eorum magis despiciatur est imperium, eo magis sele efferunt, regnantque crudeliùs, cōvulsi vi inassuetè dominationis: at, nati qui sunt principes, haud opus habent tali ascititiâ reputatione, fastuque barbarico, quibus se efferant inter suos, quoniam non necesse habent metuere contemtionem, quam ut potè prohibet genus. Besoldus sapius cit. loc. Nimirum optimus servus dominus sit pessimus. Phil. Camer. cent. 2 medit. hist. cap. 52. Vique adeò *Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum!*

Cuncta ferit, dum cuncta timet, deservit in omnes,

Vt se

*Ut se posse patet, nec bellum tertiū ullū est,
Quām servi rabies in libera colla furentis,
Agnoscit gemitus, & pāna parcere nescit,
Quām subiit, dominique memor, quem verberat, odit. Claud.
lib. I. in Eutrop.*

v. Quia subinde necessaria. Hinc videoas multos populos, quos antea turbārat electio, ad successionem tanquam ad sacram ancoram confugisse, eaque occasione pleraque electivaregna, controversis electionibus tantum non eversa, successoria tandem facta esse. *Besoldus preallegato loco.* vi. Denique, quia usitator, fidem iterum facientibus exemplis, quorum fasciculum colligit sāpiù laudatus multumque laudandus auctor, cuius scitis familiariter utimur in exercitationibus his Politicis. Maneat ergo, successionem videri optimum modum deferendi imperii expeditissimumque. *Schonborn. lib. 2. Pol.*
cap. 9.

IV.

Hac castra adversa, hi exercitus oppositi cum suis signis. Quām partem optabimus, illamne, qua arma fert pro Electione contra Successionem, an hanc, qua pro Successione contra Electionem? Pendo, pendo; neque tamen suspendo. Besoldus noster in hypothesi planè nihil definit, eò quod privatis de Republicā deliberare non sit concessum, sed diuturnus quod firmavit ulus id observandum sit meritō, quippē in suo quæ statu eademque manent, plūs Reipublicæ utilia his, quæ vel meliora per innovationem inducuntur, & ad bonum civem pertinere videtur, boni consulere præsentem Reipublicæ statum, eumque, quantum fieri potest, in meliusinterpretari: Accedit, quod si maximè de Republicā aliquā constituendā ageretur, variæ coincidentes circumstantię, populi inclinatio, & status, quas vocant, rationes, vix admittant decisionem generalem. In thesi verò suique naturā præstantiore ait videri electionem, confusio modò, vitiaque & abusus alii, bonis dexterè avertantur legibus, firmiorem interim & tuiorem esse successionem
in

in turbatâ Republicâ, leges ubi haud sufficiunt, aut ubi nō idonei sunt optimates, idoneum ut eligât regē, neq; infreques se t, aliquid per se bonum sit, quod tamen, habito respectu ad subjecti conditionem, inconsultum videatur adhiberi: solum autem Deum electionis moderatorem prudentis, & successionis largitorum felicis, utramlibet posse verè facere optimam, utramque propter peccata populi interdum reddere deterrimam, ut cognoscant viventes, dominari excelsum in regno hominum. *In prodromo disp. de Success. & Elect. num. 9. & seqq.* *Caso* composita seu mixta successio arridet, id est, ea quæ præter jus sanguinis directionem legis & consilium regis admittit, eò quod hæc vitia utriusque emenderet, & virtutes utriusque misceat. *Lib. 3 Sphar. Civ. cap. 11.* Quæ ejus de cœlio haud scio an ferat colorem, si ad Lydium probationis Politicæ lapidem examinetur. Neque enim electio videtur misceri posse cum successione, quia totâ naturâ sibi invicem repugnant: Tum successio non recipit magis aut minus, ut cum oppositâ electione queat misceri, perindè ut calidum cum frigido, perspicuum cum opaco. Nam si electores cogantur ex lege imperii adoptare heredem ex certâ stirpe, quid quæsò iis relictum præter gloriam consentiendi? Vbi autem libertas nulla est repudiandi, ibi nullus locus relinquitur electioni. Ne dicam, quod si temperamentum electionis & successionis ita habeat, ut libertas eligendi astringatur ad unam stirpem, cum hæc exceptione, ut inde eligant, aut quem velint, aut quem dignum judicent, infinitis sic turbis occasio præbeatur. Si enim lege regni toti stirpi imperium debetur, proximus quisque se eo dignum deputabit scilicet, repulsamque cum pernicie Reipublicæ vindicare studebit. *Ani- fæus lib. 2. Rel. Pol. cap. 2. sect. 5. num. 1. & seqq.* Ego neutram absolutè loquendo alteri prætulerim, cùm utraqne sit ordinarius modus constituendi magistratus: Comparate autem loquendo, modò hanc prætulerim illi, modò illam huic, ob circumstantias præsentes. Quemadmodum enim salubria non possunt

sunt definiri, ut licet dicere, tantam oportere esse semper & ubique exhortationem, tantum cibum esse salubre: ita huc, quæ occasionibus maximè exposita sunt, ad amissim determinari nequeunt. Personarum enim actionumque dissimilitudines, & quod rerum humanarum conditio nunquam certo loco consistat, non patitur simplex quidpiam in re quamquam de omnibus universim, quod per omne tempus èquè & æqualiter valeat, constituere. *Plato in Politico.* Sed manum de tabula.

Corollaria Respondentis.

E T H I C A.

- I. Omnia vita non sunt paria.
- II. Non omnis fugienda voluptas.
- III. Nec omnes illi dicendi casti, qui nullam attirgunt mulierem.
- III. Deterius indulgentia crudelitas vitiū.
- V. Constitit etiam in factis mendacium.
- VI. Injuriam sibi inferre potest nemo.

O E C O N O M I C A

- I. Vxorū illicita permutatio.
- II. Fuit & est polygamia illicita.
- III. In abundanti pecunia vera non constitunt divitiae.
- III. Carnibus humanis in extremo necessitatis causa vesci haud licet.
- V. Parentibus in omnibus & per omnia obsequium præstare non tenentur tiberi.
- VI. Natus ex iusto & damnato coitu fœtus alendus.
- VII. Competit liberis actio in parentes, adeoque eos in jus vocares & legibus cum eis experiri possunt.

POLITICA

- I. Nec divinā nec naturā lege faminarum imperium esse prohibitum afferimus.
- II. Soli magistratui, aut soli populo, quā tali, ius vocandi ministres non competit.
- III. Publica salus & honestas sunt Reipublicā finis.
- III. Malē tamen Turcarum Imperatores ob publicam salutem fratres strangulare affirmamus.

ORNATISSIMO D. RESPONDENTI.

Π απέρεσ εἰς ἔντι, Αρις πολλοῖσι, ή ὄκυ Θ.

Η δαις, ή Ερως, καὶ χαριστακόρην.

Τὸ Μάστακεράνι. Μάστο μέτερι, ΦΙΛ, ἔρωτες

Αντιφιλεῖ σεν, καὶ μᾶνον ἐ αντιφιλεῖ,

Αλλὰ διαρκέοντα μειζομένα σὸν ἔρωτα,

Αγλαί ἐνθ' ὑμῖν δῶρον χαεισταμένα

Θευμάσιον μάλα. πανδαμάτωρ ὡς ἄλλος ἀγίστως

Λάμβαν Ερως, πᾶσαν πάντες ἴωλες Κιαν.

Καὶ μάλα τύχα ἔρης, καὶ ἐνάγτιον ὑμέτερος τοι.

Θεῖ Θέρως τόσσον καρτ έδω ἀκρεπτει,

Ως ὄκνω, δαιτός τε κεστής δλοώ τε Ερωτος.

Νῦν καὶ ἐεζίν ταν τοι, Σαράτω τε αει.

Ολβι Θέσσ έργο. τα' πελαιανί έρωτο

Δέζμενα. Λιεγ έρως ανξανι κιθε τείσ.

PETR. SCHAGHEN.